

## MICHAELIS STIFELII

Pone igitur diuisorem sub diuidendo, ita ut ultima unius sit sub ultima alterius. Vt uolo diuidere 232908956280. p 149292  
Sic pono diuisorem sub diuidendo &c.

$$\begin{array}{r} 83616 \\ 232908956280 \quad (1 \\ 149292 \end{array}$$

Sic itaq; utor literis prædictis Q. M. S.

Primo, quæro quoties 149292 inueniatur in 232908. Et inuenio quòd semel. Pono igitur 1 ad uirgulam curuam, tanquã figuram quotientis.

Secundo, Multiplico figuram quotientis inuentam, in diuisorem totum, nisi quòd unitas nihil mutat sua multiplicatione, manet ergo diuisor.

Tertio, subtraho multiplicationis summam, ab eo quod diuisori supra ponitur, id est, subtraho 149292 ab 232908. Remanet residuum 83616, ut uides in figura superiori. Atq; ita expeditus est diuisor semel, inuenta unitate pro figura quotientis. Restant autem in numero diuidendo adhuc figuræ sex, ultra residuum, uidelicet 956280. Vnde pro numero harum sex figurarum, sexies innouandus erit diuisor, & per singulas illas figuras erit mouendus, quemadmodum uidebis in exempli prosecutione. Et in qualibet motione seu innouatione diuisoris, ueniunt utenda prædictæ literæ Q. M. S. eo uidelicet modo, ut dixi paulo superius.

¶ Prima innouatio diuisoris post sui primã positionẽ.

$$\begin{array}{r} 8970 \\ 836169 \\ 232908956280 \quad (15 \\ 149292 \\ \hline 746460 \end{array}$$

Primo inuentus est diuisor contineri in suo supraposito (id est in 836169) quinquies,

Secundo